



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitvlvm I. Clericus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

TITULUS XXII.

DE FIDEIUSSORIBUS.

Postquam dictum est de cautione pignoratitia, con- sequens est, ut de altera spe- cie idonea cautionis dicatur, videlicet de fideiussione, imò species cautionis idonea, seu satisfactoria, quæ est in iudicio listi, pro fideiussione duntaxat accipi solet, uti constat ex tit. ff. qui satisfacere coguntur.

CAPITVLVM I.

Clericus.

PARAPHRASIS.

Si Clericus Fideiussiones exerceat, deponi debet.

SUMMARIUM.

Clericus fideiubere potest in re modica, sed in re magna & frequenter.

Notandum. Varii sunt intellectus huius cap. uti videre est apud Imolam hic & Syl. v. Fideiussor q. 3. Expeditior explicatio est, ut dicamus, quòd Clericus admini- strationem aliquam gerens cum præju- dicio Ecclesiæ, seu in ordine ad reditus Ecclesiæ, aut beneficij sui fideiubere non debeat, alioquin si frequenter id agat, & secundum quantitatem non modicam, deponi debeat; at verò in re modica Fi- deiussionem Prælato, etiam non requi- sita Capituli consensu, aut Superioris auctoritate, concessam esse docui lib. 3. tra. 4. c. 29. n. 7. Ratio huius doctrinæ dicitur debet, quia Prælati Ecclesiarum, imò & alij beneficiarij redituum ab Ec- clesiâ, vel beneficio suo provenientium, absoluti domini sunt, ita ut eos in quos- libet etiam profanos usus arbitrato suo absumere, vel in periculum absumptio- nis conijcere possint, prout docui lib. 4. tra. 2. c. 3. n. 2. & ostenditur infra tit.

de peculio Clericorum & tit. de testa- mentis.

CAPITULUM II.

Pervenit.

PARAPHRASIS.

R. Clericus pro duobus alijs Clericis, à mer- catoribus Bononiensibus pecunias acci- pientibus, fideiussit, & his non solven- tibus solvere coactus fuit; cum de ea re Lucio III. Papæ questus esset idem R. Respondit hîc Papa, cum Clericus R. exinde dispendium pati non debeat, ex quo præmium meretur, idèd se Bononi- ensi Episcopo mandasse, ut instrumen- ta, quæ sunt super pecunijs debitis apud mercatores relicta, inspiciat, & copias transumptas suo sigillo munitas, ad ju- dices in hac causa delegatos, transmit- tat. Hîc enim mandat eisdem judici- bus, ut si ipsi ex dictorum duorum Cle- ricorum confessione, vel aliâ legitimè constiterit, rem ita se habere, sicuti R. Clericus retulit, moneant illos Clericos, ut pecunias solutas, ipsi R. restituendo, indemnem eum seruent; alioquin ex eo- rundem reditibus (Ecclesiasticis) debita exolvi curent, & damna etiam, quæ ob id passus est R. refarcire; vel reditus ipsorum, iudices assignent eidem R. ut interim sine molestia cujusquam eos de- tineat, donec damna compensata, & debitum sine diminutione solutum sit, dictos autem duos Clericos, si fidei, & juramenti sui religionem violasse osten- sum sit, ab officio, & beneficio suspendant.

SUMMARIUM.

1. Quando Clericus pro alio fideiubere possit.

00

2. 18-